

bilibus comprobatum est. Ergo auctoritatem habere debet, ergo est authenticus, non verò suppositus.

COROLLARIUM.

Ergo certissima et indubitata sunt miracula et alia facta quæ in Pentateucho referuntur. Nam ex suprâ dictis, vera sunt hæc facta modò 1^o Moïses antiquitus extiterit et fuerit legislator judæorum, modò 2^o sit Pentateuchi autor, modò 3^o judæos non deceperit, modò 4^o judæi Moïsi coætanei simul cum ipso in fraudem non conspiraverint, modò 5^o hæc non fuerint post ætatem Moïsis conficta, modò 6^o Pentateuchus non fuerit adulteratus: atqui hæc omnia constant ex propositionibus præcedentibus, ergo, etc.

PROPOSITIO SEPTIMA.

Religio mosaïca divina fuit.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex miraculis.

Ex antea demonstratis, vera est religio mosaïca, modò vera sint miracula quæ in Pentateucho referuntur: atqui ex corollario præcedenti et propositionibus antecedentibus certissima sunt miracula quæ in Pentateucho referuntur; ergo, etc.

ARGUMENTUM SECUNDUM.

Ex prophetiis.

Suprà demonstravimus religionem veris prophetiis et ad eventum perductis confirmatam, esse divinam: atqui in Pentateucho plures leguntur prophetiæ à Moïse editæ et ad eventum perductæ. Nam, 1^o num. 14 prophetat Moïses nullum præter Calebum et Josue, terram chananæam judæis promissam ingressurum esse quæ prophetia ad eventum perducta legitur num. 26 et Deuteron. 52. 2^o Deuteron. 51. prophetat brevi post suam mortem fore ut declinent de via quam præcipit eis et occurrent eis mala in extremo tempore. 3^o Levitic. 26 ipsos dispergendos esse inter gentes. 4^o Deuteron 28 prædictur regem quem sibi eligent, cum ipsis transferendum esse inter gentes exteras et incognitas. Ibidem singulatim complures prædicuntur babylonicæ captivitates circumstantiæ. Eodem capite prænuntiantur mulieres commesturas esse carnes filiorum suorum et filiarum suarum. Quæ quidem omnia contigerunt, ut constat ex historia judæorum. Nec ipsa ultima circumstantia, quantumvis incredibile videatur, eventu frustrata est, siquidem in duabus obsidionibus Hierosolym. Sive sub Nabuchodonosore, sive sub Tito, mulieres filios suos comedebant. Multa alia Moïsis vaticinia appellare possem, sed hæc sufficiunt. Qui plura voluerit, legat lib. cui tit. *l'Incrédulité convaincue par les prophéties*, tom. 4, cap. 2. Illic tantum animadvertam has prophetias iis insigni-

tas esse conditionibus quas suprâ assignavimus, ut vim habeant probandi. 1° Certum est illas ad eventum fuisse perductas, ut modò dictum est. 2° Manifestum est tot circumstantias, tam diversas, tam remotas, tam singulares, et quarum plures ex causis liberis pendent, non potuisse scientiâ naturali prænuntiari. 3° Tot circumstantiæ cum evento congruere fortuito casu non potuerunt. Hæc tria fatentur Deistæ. Undè unicè respondent illas prophetias post eventum fuisse editas, confictas, et libris judæorum superadditas; consequenter illas quartum characterem à nobis assignatum non præ se ferre. Verùm in hac parte quæ est maximi momenti difficile non est Deistas confutare, ac pervincere hæc oracula fuisse antè eventum edita. Sic autem illud paucis, sed invictis argumentis conficimus. Si illæ prophetiæ fuissent Pentateucho superadditæ, Pentateuchus non esset verax et incorruptus: atqui tamen, ex demonstratis Pentateuchus est verax et incorruptus; ergo, etc. Aliundè, nunquàm judæi passi fuissent ut similes prophetiæ, quæ nonnisi infausta et indecora ipsis prænuntiant, Pentateucho adjicerentur. Nullus impostor id tentare ausus fuisset. Præterèa, quod invictissimum est contrâ incredulos hodiernos argumentum, ambæ saltem prophetiæ posteriores impletæ non fuerunt, nisi in captivitate babilonica, et in duabus Hierosolymæ obsidionibus. Illæ posteriores prophetiæ totæ circâ hos eventus versantur. Consequenter, si fuissent post eventum suppositæ, vel Pentateucho additæ, hoc non factum fuisset nisi post illos eventus, et consequenter diutissimè post schisma samaritanorum. Ergo

illæ prophetiæ non legerentur in Pentateucho samaritanorum. Non potest enim dici samaritanos illas à judæis accepisse, cum fuerint ipsis hostes infensissimi, et cum omnes alios judæorum libros constanter repudiaverint, præter Pentateuchum quem antè suam defectionem habebant. Atqui tamen Pentateuchus samaritanorum hæc oracula continet, sicut cætera omnia facta quæ in Pentateucho judæorum memorantur. Ergo, etc.

ARGUMENTUM TERTIUM.

Ex speciali Dei erga judæos providentiâ.

Ea religio divina fuit cujus observatores semper et constanter Deus beneficiis cumulavit et violatores punivit. Hæc enim beneficia quibus Deus indesinenter observatores legis judæicæ cumulavit, et ærumnæ quibus constanter illius legis contemptores afflictavit, non possunt haberi nisi ut vera approbatio legi mosaicæ data. Atqui reverà, Deus indesinenter totum populum judæicum beneficiis cumulavit, cum legem observavit, et variis afflictavit ærumnis, cum illam violavit, ut certum est ex tota populi istius historia. Legi possunt ea de re judic. cap. 2, 5, 4, 6, 7, 17, libri Regum et Paralipomenon ferè integri.

Argumentum istud multùm roboratur ex eo quòd Moïses in Pentateucho huic genti felicitatem temporalem, si leges observaret, prænuntiaverit et pollicitus fuerit; ærumnas verò comminatus sit, si infringeret. Ii felices exitus, prosperi successus, ærumnæ illæ om-

nes quas, prout fuit in Deum pia vel rebellis, ad Moïſis prædictum, experta est natio judaïca, probant Moïſen fuiſſe divinitus afflatum, et conſequenter divinam eſſe ipſius religionem.

ARGUMENTUM QUARTUM.

Ex characteribus divinitatis qui in hac religione reſucent.

Moïſes in religione quam populum judaïcum edocuit, Deum exhibet unicum, optimum, maximum, æternum, immenſum, ſpiritum puriſſimum, infinitum, mundi creatorem, ſapientiſſimis legibus res univerſas moderantem, malos pœnis afficientem, probos bonis cumulantem, omnium denique honorum fontem; uno verbo, huic ſupremo Numini tribuit perfectiones omnes quibus illud eſſe præditum ratio docet, et quas Deistæ quos hîc refellimus ipſi convenire profitentur. Moïſes non tantum de ſupremo Numine alta et ſublimia profert, ſed etiam præcepta de moribus eximia tradit. Docet nempe Deum toto corde eſſe diligendum, gratias eſſe ei perſolvendas; ad eum in proſperis, in adverſis omnibus eſſe recurrendum; proximum eſſe amandum; auxilium ei eſſe ferendum; bonum quodcumque eſſe peragendum; malum fugiendum; culpas pœnitentiâ egregiisque factis eſſe redimendas. Vetat furta alieni boni, cædem proximi, fratris odium, avaritiam, fornicationem, adulterium, et quæcumque inhoneſta. Uno verbo, decem Decalogi præcepta quæ regulas morum à Moïſe traditas complectuntur, ſunt in

omnibus rectæ rationi conſona, et haberi poſſunt velut totius legis naturalis compendium. Hæc eximia ſunt atque ab omnibus obſervanda, fatentibus religionis naturalis deſenſoribus quos hîc conſutamus. Jam verò quomodò fieri potuit ut Moïſes, qui iis temporibus ſcribebat in quibus omnes homines idololatriæ erant addictiſſimi, qui inſtitutus fuit inter ægyptios crocodilorum et plantarum cultores, qui eâ ætate vivebat quâ omnes populi cupiditatibus ſerviebant, præcepta morum ignorabant, quâque ipſi acutioreſ viri omnia crimina, adulteria, furta, puerorum et aliorum homicidia dictis et factis approbant; quomodò, inquam, fieri potuit ut, iis ignorantæ, præjudiciorum, et corruptionis temporibus, tam ſublimia de Deo, tam eximia de moribus doceret, niſi hanc doctrinam à Deo hauſiſſet et accepiſſet? Dicat Deista cur nec iſmaëlitæ, nec idumæi qui non ſecus ac judæi ab Abrahamo orti erant, nec alii populi, nec ullus philoſophus tam ſancta noverint, nec fecerint? Dicat qui fieri potuit ut Moïſes apud gentes tam rudes, tam ignaras, tam ſuperſtitioſas, ovibus, capellis, bovibus paſcendis aſſuetas natus, rectius de Deo et moribus loqueretur, quàm populi omnes, quàm cuncti philoſophi quorum permulti fuerunt literarum ſtudio dediti ac maximè devoti, ingenio ſagaces et acuti, ſtilo elegantes et perpolitati, niſi fuerit à Deo inſpiratus?

ARGUMENTUM QUINTUM.

Ex sapientia legum mosaicarum.

Certum est ingenii et mentis humanæ opera illicò et derepentè non esse perfecta. Oportet ut ipsa sæpè emendentur, antequam perfectionem attigerint. Hæc omnia nonnisi decursu temporis fiunt. Uno verbo, mens humana gradatim progreditur. Igitur leges, si sint humani ingenii fœtus, nonnisi, additis temporibus, perfectæ esse possunt; fræna injiciunt vitiis quæ sanè ætatum progressu variant multùm; interpretationibus, immutationibus sæpè indigent. Nulla est gens quæ frequenter suas leges non emendaverit, ut illas variis circumstantiis et civium conditionibus accommodaret. Ita græci, romani et alii omnes populi. Legislatores omnes agnoverunt leges nonnisi temporum cursu perfici, illas immutandi pro variis circumstantiis facultatem concesserunt. Ex eo consequitur leges mosaicas, ut potè omnium antiquissimas, si sint ab homine sibi derelicto inventæ, si solius ingenii humani opus, fuisse minùs perfectas quàm alias omnes, ac frequentissimè immutandas fuisse. Atqui tamen leges mosaicæ, licèt omnibus aliis antiquiores, sunt sapientissimæ et omnibus aliis recentioribus longè perfectiores.

Illud constat, 4°. ex eo quòd præcepta morum in omnibus rectæ rationi et legi naturali consona Moïses tradiderit, ut jam diximus, dum tamen alii legislatores quæcumque nefanda et legi naturali adversa præceperunt, vel permiserunt.

Illud constat, 2°. quia antiquorum sapientissimi quæcumque meliora scripsère, ex Moïse hauserunt, v. g. Solon, Anaxagoras, Aristoteles, Socrates, Plato qui tot habet consimilia Moïsi ut indè dictus fuerit Moïses atticè loquens. Multos alios philosophos quæcumque excellentiora tradunt ex Moïse hausisse ostendit Huetius Demonstr. evangelicâ, prop. 4. præsertim cap. 2. Ergo isti omnes legis mosaicæ excellentiam agnoscebant.

Scimus quosdam eruditos non consentire veteres philosophos multa ex judæorum doctrina hausisse. Hinc istud ratiocinium quo jam usi sumus, ubi de revelationis necessitate disseruimus, non ut demonstrativum proponimus, sed tantùm ut probabile, quia, re sedulò expensâ, sententia hæc quam defendimus non tantùm vulgò eruditus acceptior est, verùm etiam, ut nobis videtur, multò probabilior.

5°. Idem constat, quia illæ leges eventus omnes præviderunt. Quanquàm gens et regimen judæorum diù extiterint, quanquàm pluries captivi fuerint, et varios casus experti sint, non tamen opus fuit ut quidquam in his legibus immutaretur, nihilque in illis mutatum est, nec in religiosis, nec in civilibus; sed ut sufficientes in variis reipublicæ vicissitudinibus à judæis semper habitæ sunt.

4°. Illæ leges, aliæ sunt morales, aliæ cæremoniales, aliæ civiles. Quicumque illas attentè meditatus fuerit, compertum habebit illas esse sapientissimas. 1°. Morales quas admittunt ipsi Deistæ. 2°. Cæremoniales quæ erant figuræ utiles et totidem documenta

quibus israelitæ rudes et sensibilibus assueti de suis officiis monebantur : v. g. sacrificiis se esse peccatores et pœnis dignos confitebantur ; primitiis quæ juxta legem erant Deo offerendæ , supremum Dei dominium agnoscebant , gratiasque ei agebant. Ablutiones externæ animos debere esse sceleris puros significabant. Circumcisio concupiscentiam esse reprimendam judæos admonebat , necnon ipsos esse populum Dei , populum dilectum et peculiariter Deo consecratum. Festa et cæremoniæ plures prodigiorum , quæ ipsorum gratiâ Deus operatus fuerat , ipsis memoriam refricabant. Leges quæ prohibebant ne ipsi cum alienigenis consociarentur et connubarent , non minùs erant sapientes ; siquidem hæc viâ avocabantur ab idololatriâ gentium , ad quam semper proclives fuerunt. Moïses jusserat ut à carnibus quorundam animalium abstinerent judæi , sive quia illæ carnes in Palæstina erant nocivæ , sive quia pagani consueverant iis carnibus uti in suis sacrificiis idololatricis. Ex his conclude leges judæorum cæremoniales , licet non fuerint æquè perfectæ ac leges christianæ , tamen fuisse optimas , si spectantur tempora , status , et indoles judæorum qui adhuc erant crassi et rudes , cultûsque perfectioris minimè capaces. De utilitate cæremoniarum mosaicarum consuli possunt plures eruditi , v. g. Marshamus in chronico Canone ægyptiaco et hebraïco ; Spencerus de legibus hebræorum ; et Clericus in Pentateuchum. Leges civiles et politicæ non minùs fuerunt sapientes , uti fusè ostendit Vernetus , tom. 1. pag. 180. Ergo leges mosaicæ quæ sunt omnibus aliis antiquiores , sunt tamen sapientis-

simæ et omnibus aliis multò perfectiores ; ergo non sunt solius ingenii humani opus ; ergo à Deo dimanant.

His omnibus addi potest judæos , qui jam tum in multitudinem innumerabilem excreverant , leges mosaicas quæ sanè sunt acerbæ , cupiditatibus adversæ , quæ non rarò sub pœna capitis ipsos obligabant , nunquàm fuisse acceptaturos , nisi Moïses clarè sive miraculis , sive prophetiis , sive aliis argumentis quæ illorum pervicaciam frangerent , suam missionem comprobaasset. Equidem possibile est , historiâque didicimus principes et legislatores populis leges merè humanas dedisse ; sed istæ leges erant indoli populorum accommodatæ , vel cupiditatibus favebant , vel isti populi armis et terrore ad obsequium cogebantur. At verò impossibile est ut homo omni humano auxilio destitutus integræ genti jugum durum accipiendum esse et acerbæ leges admittendas suadeat , ita ut mortem perpeti eligant cives potiùs quàm leges istas infringere , nisi homo iste sese à Deo missum manifestis argumentis demonstret.

SOLVUNTUR ARGUMENTA

quæ contra precedentes propositiones objiciuntur.

Contra primam propositionem.

OBJ. 1^o Fama deorum paganismi , v. g. Jovis , Mercurii , Apollinis , non minùs apud paganos fuit celebris , nec minùs constans , quàm Moïsis apud judæos : atqui